

viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Euhemero est: quem noster et interpretatus, et secutus est, praeter ceteros, Ennius. Ab Euhemero autem et mortes, et sepulturae demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusina, sanctam illam et augustam,

Ubi initiantur gentes orarum ultimae. —

Prætero Samothraciam, eaque, quae Lemni  
Nocturno aditu occulta coluntur  
Silvestribu' sœpibū' densa.

Quibus explicatis, ad rationemque revocatis, rerum magis natura cognoscitur, quam deorum.

De nat. Deor. II. 2. Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, quum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo haec regantur? — Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, solne sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius? Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum seculis ætatibusque hominum inveterari potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? Opiniorum enim commenta delet dies; naturæ judicia confirmat. Itaque et in nostro populo, et in ceteris Deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies maiores atque meliores.

De nat. Deor. II. 5, 6, 7. Cleanthes quidem noster quatuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, quae orta esset